



De Justificatione Hominis Peccatoris coram Deo, disputatio.

<https://hdl.handle.net/1874/423062>

4

De Iustificatione Hominis Pec-
catoris coram Deo,

Disputatio.

Quam

DEO CLEMENTER ANNVENTE,

PRÆSIDE EGLI-
DIO HVNNIO, SA-
CRAE THEOLOGIAE DOCTORE
& Professore ordinario, M. REINHARDVS
SVSENBETVS Eschuegensis, 13. Decembris,
hora & loco solitis publicè tueri
conabitur.



Marpurgi Cattorum, typis Pauli Egenolphi, 1588.

De Iustificatione Hominis Per

carum coram Deo

Dissertatio

DEO CLEMENTER AVVENTUS

PRAESIDE EGI

DIO HANNIO, SA

GRAE THEOLOGICAE DOCTORE

& Professore ordinario, M. Reinhardus

Syriacus, Elphingus, 13 Decembris

hanc Dissertationem publice lecti



Georgii Cantuariensis Archiepiscopi 1578



DE IVSTIFICATIONE HOMINIS Peccatoris coram Deo, Disputatio.



Propositio prima.



Verbum Iustificare in hoc Articulo idem significare, quod iustum in Dei iudicio reputare, condonatis peccatis, ex his ipsis testimoniis evidēs est, quibus homo Tribunali Dei sistitur, de quo illius Iustificatione pertractatur.

2. *Veluti Psal. 143. Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

3. *Et Iob. 9. Scio quòd non iustificetur homo comparatus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.*

4. *Sic Luc. 18. Publicanus ad tribunal Dei astat, accusatur à sua conscientia, petit sibi dimitti peccata, & absolui à reatu damnationis. Quòd dum consequitur, scribitur Iustificatus descendisse in domum suam.*

5. *Rom. 3. Voce legis reus peccati agitur uniuersus mundus. Mox ab illo damnationis reatu scribuntur iustificari homines.*

6. *Rom. 5. à iudice extat condemnatio & iustificationis, ut Condemnatio quidem dicatur esse ex vno delicto ad condemnationem: donum autem ex multis delictis ad iustificationem.*

7. *Planè ut & Roman. 8. Quis intentabit crimina aduersus electos*

Dei? Deus est, qui iustificat: quis ille, qui condemnet?

8. Quae testimonia ut praesenti negotio maxime sunt propria, sic irrefutabiliter arguunt, in hoc Articulo Iustificari nihil esse aliud, quam coram iudicio & tribunali Dei reputari iustum, non imputatis peccatis.

Status con-
trouersia.

9. Porro inter nos & Pontificios non controuertitur, utrum Christiani bona opera facere, nouitatiq; vitae operam dare teneantur.

10. Sed hoc extra omnem dubitationem posito, quaeritur, num nostra charitas, vitae nouitas, operaq; bona, sint id, quo Deus moueatur, ut peccata remittat, in gratiam acceptet, & aeterna vitae haeredes scribat? afferunt hoc illi, nos verò pernegamus.

11. Ac dicimus, Iustificationem esse opus Dei, quo hominem sensu peccati territum & ad Thronum gratiae confugientem sola sua misericordia propter filij meritum fide apprehensum fauore suo dignatur, & condonatis delictis iustum adeoq; caelestis regni haeredem pronunciat, citra ullum vel humanum meritum, vel ad virtutes operaeue hominis respectum.

Prima causa
Iustificatio-
nis.

12. Gratia Dei nos Iustificari, Paulus indubius testis est. Roma. 3. Iustificamur gratis, per illius gratiam. Ephes. 2. Gratia Dei estis saluati.

13. Vbi Gratia non dona infusa, charitatem aliasq; virtutes, denotat: sed gratuitum Dei fauorem & misericordiam, remittentem peccata sine ullis meritis aut operibus.

14. Quemadmodum Christus hanc iustificantem gratiam, misericordissimi Dei in nos charitate definiit, inquit: sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium suum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

15. Et Ioannes 1. Epist. 4. non nostrae charitati inherenti, sed charitati solius Dei omne punctum salutis acceptum fert: In hoc, inquit, est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & miserit filium suum propiciationem pro peccatis nostris.

16. Maxime verò Ephes. 2. illa Gratia, qua nostra Iustificationis
causa.

causa est, huiusmodi vocibus explanatur, ut omnis dubitationis scrupulus penitissimè submoueat.

17. Sic enim Paulus: Deus, ait, qui diues est in Misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos vnà cum Christo (per Gratiam seruati estis) simulq; cum eo resuscitauit, & sedere fecit inter cœlestes, ut ostenderet in seculis superuenientibus eminentem opulentiam gratiæ suæ benignitate erga nos per Christum Iesum. Gratia enim estis saluati per fidem, idq; non ex vobis, &c. Ephes. 2.

18. Et Tit. 3. At postquam apparuit χριστός ὁ εὐδαιμόνιας, Bonitas & erga homines amor Seruatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ sunt in iustitia, quæ faciebamus nos, sed secundum Misericordiam suam nos saluos fecit.

19. Hæc testimonia clarè euincunt, gratiam, quam Spiritus Sanctus nostræ coram Deo iustitiæ causam prædicat, nihil esse aliud, quàm gratuitum Dei erga homines fauorem & amorem, bonitatem & benignitatem, adeoq; immensam ipsius in nos dilectionem ac misericordiam.

20. Atq; hoc toties confirmat scriptura, quoties remissio peccatorum (in qua, Dauide & Paulo testibus Psal. 32. & Rom. 4. arx Iustitiæ & salutis nostræ collocatur) ex misericordia & clementi propiciatione obuenire legitur, Psalm. 51. 130. Esa. 55. Jerem. 31. Daniel. 9. Mich. 7. & alibi.

21. Et quia saluifica illi Gratia per antithesin opponuntur opera, dicente Paulo: Si ex gratia non iam ex operibus: Sin ex operibus, non iam ex gratia: de Charitate verò nobis inherente adeò sic concludere non licet, ut potius sic inuertere possis: si ex infuse charitatis habitu, utiq; iam ex operibus: & quia insuper Gratia illa data nobis est (Paulo teste) ante tempora æterna: inherens autem charitas vitæq; nouitas confertur nobis in tempore: ac deniq; quia Rom. 5. distinguitur inter Gratiam & donum per gratiam: preposterum est illa habituum inherentium χαιεῖοατα pro ipsa iustificante gratia venditare. 2. Tim. 4.

22. Huc referendum est Baptiste testimonium, quo ait, nos de plenitudine Christi accipere Gratiā, & quidem pro Gratiā, ut gratiā illam omni modo gratuitam esse (quoad nos) doceret. Ioan. 1.

23. Vocula etiam, Gratiā, quia satisfactionis pretio in scripturis opponitur, Gen. 29. Exod. 21. Esa. 52. Matth. 10. 2. Cor. 11. 2. Theff. 2. satis edocet, cum gratis iustificari predicamur, Deum nihil vel inuenire vel intueri in nobis, propter quod iustitiam in suo conspectu valentem conferat.

Rom. 4.

24. Sed quemadmodum scriptum est: Ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides illius ad iustitiam.

25. In quo significatu dicitur Apocal. 21. ex Esa. 55. Ego sitienti dabo de fonte aquae vinee gratis. Et Apoc. 22. Qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitae gratis.

Secunda causa
Iustificatio-
nis.

26. Interim tamen quia Deus peccatis offensus reconciliandus erat: requirebatur secunda causa Iustificationis, Christus, qui absolutissima perfectionis λόγος Iustitiam aeterni Dei cum peccatoribus in gratiam redigeret.

Ezech. 18.

27. Quanquam autem poterat Iustitia illa Domini propriam à nobis satisfactionem postulare, iuxta illud: Anima, quae peccat, ipsa morietur: tamen bonitate Dei temperata acquiescit in alieno merito.

28. Et hoc ipsum scriptura dilectioni Patris acceptum fert, quod hanc satisfactionem, quae respectu nostri aliena est, admittit. Ioan. 3. & 1. Ioan. 4.

29. Interim nihil decedit Iustitia divina, quando plena ei dependitur satisfactio: sicut creditor acquiescit, soluto debito, siue ipse soluat debitor, siue illius loco quispiam alius, dummodo id exoluatur.

Esa. 9.
Luc. 2.

30. Nobis igitur, non sibi, in orbem natus, nobis datus ac donatus Christus, nobis quoque factus est à Deo sapientia iustitiarum, & sanctificatio & redemptio. 1. Cor. 1.

Ier. 23.

31. Islehoa & Deus est iustitia nostra, primò sub ratione cause efficientis, non tantum, quatenus tota Trinitas nos iustificare gratuito favore dicitur, ut modo est expositum: sed etiam quatenus personam

Recon-

conciliatricem esse Iehouam siue Deum oportuit, qui arduo Redemptio-
nis operi conficiendo par esse posset.

32. Deinde sub ratione cause formalis nostra Iustitia est Christus:
non simpliciter respectu personae suae, sed obedientia praestita, cuius ta-
men omnis vis atq; meritum à dignitate Personae obedientis unice
dependet.

33. Obedientiam porrò dicimus, cum eam, qua legem adimpleuit,
tunc verò, qua Patri usq; ad mortem crucis obediuit Phil. 2. Quarum
illa dicitur Actiua, haec passiva.

34. Actiuam eius obedientiam pertinere ad mysterium salutis no-
strae, Paulus testis est, Rom. 5. scribens: sicut per inobedientiam unius
hominis peccatores constituti fuimus multi: ita per unius obedientiam
iusti constituuntur multi.

35. Et rursus Rom. 10. Perfectio legis Christus ad Iustificationem
omni credenti. Et Gal. 4. Emisit Deus filium suum, factum ex muliere,
factum legi obnoxium, ut eos, qui legi erant obnoxij, redimeret.

36. Nisi etiam Christi obedientia legi persoluta nos iustificaret, tum
(quod diuina iustitia contrarium foret) sine omni prorsus impletione
legis iustificaremur: siquidem nec ipsi impleremus legem, quippe pra-
stiti nobis impossibilem, nec Christi impletio nos aliquid attineret.

37. Quanquam autem Christus legi diuinae se submittat carne: ta-
men quia hac in ista obedientia per se neq; est nec à $\lambda\beta\gamma\delta$ separatim agit,
sed Persona, nempe $\lambda\beta\gamma\delta$, est illud Agens: hinc adeo fieri nulla ratione
potest, ut Christi humanitatem ex debito legi subiciat, ni simul ipsum
 $\lambda\beta\gamma\delta$ asseras esse Legis seruum ex debito, quod citra diuinae Maiestatis
ipsius contumeliam affirmari non potest.

38. Si verò filius Dei ratione personae propriae suae debitor legis non
est, nec humanam Naturam, in qua legi obediuit, in suum usum assump-
psit, sed nostra causa (nobis quippe natus puer, nobis datus filius, Es. 9.)
utiq; etiam obsequium, quod exoluit legi, totum erit nostrum.

39. Praesertim cum ideo venerit, ut impletet legem & Prophetas,
Matth. 5. venerit autem non propter se, sed propter nos, & proinde e-
tiam legem ac Prophetas non propter se sed propter nos impleuerit.

Qua

40. *Quae obedientia quia non modo est legi Decalogi undiquaque conformis, sed supra angelorum obsequia hac quoque perfectione eminent, quod eam praestet Unigenitus Dei uerby & atq; Filius: hinc adeo sempiternam Dei meretur gratiam his, quorum uice praestatur, eorumque inobedientiam cum ul. uè pensat & expiat.*

41. *Interim Patris uoluntati non modo ad plenum satisfacit, obediendo legi: sed placat etiam ipsius iram, patiēdo: & quia post lapsum obligati sumus legi, cum ad obedientiam, tum ad pœnam, Christus non modo obedientiam, quae ex nostra parte deficiebat, in sese recipere, sed etiam pœnas transgressoribus constitutas subire patiēdo uoluit, ut & omissionis defectum suppleret obedientia actiua, & commissio- nis peccata expiaret passione & morte.*

42. *Et uisum est Deo non praecise duntaxat tantum per Christum nobis comparare, quantum uel in Adamo amissum erat, uel ad nostri redemptionem uidebatur sufficere.*

43. *Sed placebat superabundantem acquirere iustitiam, ut exuberante delicto, magis tamen exuberaret gratia.*

44. *Idcirco non solum Actiua, quam uocant, obedientia eius, nec tantum ipsius sub Pontio Pilato passio, sed & Resurrectio ex mortuis ad Caput nostrae Iustificationis pertinet. Rom. 4.*

45. *Quin & paupertas, quam ab ultima infantia perpeffus est, nos coram Deo aeternum ditat. 2. Cor. 8.*

46. *Ipsius sancta conceptio & illibata Natiuitas proluit impurae conceptionis natiuitatisque nostrae sordes. Nobis enim est natus, ut ex Esaiæ nono Capite Angelus Luca 2. pronunciat.*

47. *Sic ergo exuberans planè infinitissimi Meriti plenitudo atque fons nobis in Christo paratus est, ut eò firmiter ac tutius in uniuerso ipsius merito possemus acquiescere, eoque minus esset cause, huic merito Christi supplementi loco adiungendi nostra opera & passionēs.*

48. *Et quidem ut de passione Christi sigillatim dicatur, esse eam nostrae iustitiae & salutis fontem & causam, tota scriptura clamat.*

49. *In primis caput Esaiæ 53. Et quod Agnus Dei dicitur tollens peccatum mundi, Cuius sanguis nos emundet ab omni iniquitate: quem*
Deus

- Deus proposuerit reconciliatorem interueniente sanguine ipsius. Rom. 3.
 50. Hinc mortuus legitur pro peccatis nostris secundum scripturas. Rom. 4.
 Hinc per ipsum habere pradicamur redemptionem, per sanguinem 1. Cor. 15.
 ipsius, remissionem peccatorum. Tradidit quippe semetipsum pro nobis Eph. 1.
 oblationem ac victimam Deo in odorem bonae fragrantiae. Reconcilia- Eph. 5.
 uitq; nos in corpore carnis suae per mortem, dum per proprium sangui- Col. 1.
 nem ingressus semel in sancta aeternam redemptionem inuenit. Talia Heb. 9.
 sunt propè innumera.
51. Non autem sic partitus est nobiscum laudem officij sui, vt ipse
 satisfaceret tantum pro peccato Originis, nos verò pro actualibus: atq;
 sic ipse tantum pro vno, nos verò pro innumeris.
52. Quin ipse vnus & solus Redemptor est, vnus Conciliator Dei 1. Tim. 2.
 & hominum, qui torcular irae Dei calcavit solus, nec est in vlllo alio sa- Esa 63.
 lus, nec nomen aliud sub caelo datum hominibus, in quo saluari oporteat. Act. 4.
53. Ab omni igitur iniquitate nos redemit, Tit. 2. & 1. Ioan. 1. &
 est propiciatio pro peccatis totius mundi. 1. Ioan. 2. Ergo etiam pro
 actualibus.
54. Quorum expiationem scriptura disertè illi transcribit 1. Co-
 rinth. 6. nempe mundationem ab operibus mortuarijs Hebr. 9. redem-
 tionem à vana conuersatione nostra, qua potissimè in peccatis actua-
 libus est posita 1. Pet. 1.
55. Hinc mulier peccatrix non tantum originalis, sed etiam in pri-
 mis actualium peccatorum remissionem apud Christum querit & in-
 uenit, cumq; pro hoc impetrato beneficio impensius diligit. Luc. 7.
56. Hinc latro in cruce actualium scelerum remissionem consequi
 cupiens, ad nihil aliud, quàm ad Christum se conuertit, & quod petit,
 ab eodem cumulatè accipit.
57. Quemadmodum & Paulus delictorum actualium sui in Eccle-
 siam odij, persecutionis, violentiae, atq; blasphemiae condonationem ex
 gratia exuberante Dei, adeoq; hinc se adeptum profitetur, quòd Iesus
 Christus in mundum venerit, vt peccatores saluos faceret, cuius rei
 manifestum exemplum in se sit exhibitum. 1. Tim. 1.

58. Caterum neq; tantum pro culpa expianda valet Christi Saluatoris passio, ut interim nobis pro pœna satisfaciendum restet, ut Pontificij tradunt.

59. Sic enim rursus dimidia redemptionis nostræ pars contra omnem scripturam adscriberetur nobis: quod impium & Antichristianum esse nihil ambigimus.

60. Quin ipsa quoq; pœna, & ut Esaias appellat, Castigatio seu disciplina pacis nostræ est super Christum, quandoquidem illa ipsius passio atq; mors nihil fuit aliud, ac peccatorum nostrorum constituta pœna, quam nostro loco ipse subiit, peccata nostra perferens in corpore suo super lignum 1. Pet. 2.

61. Atq; hac ratione liberavit nos à maledictione quoq; legis, factus pro nobis maledictum. Gal. 3.

62. Quæ maledictio nil quicquam est aliud, quàm pœna transgressoribus legis cõstitutæ. Iuxta illud: Maledictus qui non permanerit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. Deut. 27.

63. Quin impossibile est à satisfactione pro culpa separare liberationem à pœna. Vbi enim culpa seu reatus dimittitur, pœna amplius nullus est locus: quandoquidem pœna nil quicquam vindicat nisi præcipientem admissi peccati reatum siue culpam.

64. An non bis iniustus esset Magistratus, qui furem liberum pronuntiaret à culpa furii & nihilominus ad pœnam suspendij dånaret?

65. Absit igitur à Deo, ut vel pœnam loco satisfactionis pro peccato exigat, ab his, quibus videri velit remisisse culpam, vel ut pro vna culpa geminam pœnam postulat, vnã Christo pro nobis infligendam, alteram verò nobis infligendam, vel in hac vita, vel in igne purgatorio.

66. Nam calamitates, quæ infliguntur pijs, non modò non sunt satisfactio pro peccatis coram Deo, (Hoc enim solius Christi est) sed ne pœna quidem propriè sic dictæ rationem habent, siquidem non proficiuntur ab irato Deo, sed ob fines longè alios (de quibus aliàs) ab eo potius, qui diligit eum, quem corripit.

67. Et quanquam scribit Paulus, se suis afflictionibus supplere, quod desit afflictionum Christi: tamen non hoc vult, quasi passionibus, quas

Christus

Prou. 3.
Heb. 12.

Col. 1.

Christus sanctissimo suo naturali corpore sustinuit, desit quicquam, quod ad plenam & consummatam nostram redemptionem spectat,

68. Quia enim ea passione totus mundus reconciliatus Deo est, & per eam eterna pars inuictaq; redemptio, Hebr. 10. blasphemum fuerit dicere, passionem illam suppleri ab ullo vel angelo vel homine. Christus enim solus calcat torcular, & de gentibus non est vir cum eo. Esa. 63.

69. Sed loquitur Apostolus de afflictionibus, quas Christus adhuc pati dicitur, non in corpore naturali suo (Excitatus enim à mortuis Rom. 6. non moritur amplius) sed in mystico suo corpore, quod est Ecclesia, cuius afflictiones pro suis reputat, iuxta illud: Saul Saul, cur me persequeris? Act. 9.

70. Hæ afflictiones nondum sunt completæ, sed quamdiu restant p̄ affligendi, tamdiu illis aliquid deest.

71. Has Paulus pro sua portione supplebat, & quisq; sanctorum supplet pro demerso sibi assignato: idq; pro Ecclesia, ut Apostolus ait: non autem ut ijs impetretur Ecclesie peccatorum remissio, sed ut Ecclesia Dei promoueatur adificatio.

72. Caterum in hoc quoq; sese egregiè ostendit plenitudo meriti passionis & obedientie Christi, quod etiam ratione personarum undiquaq; completa est illius perfectio.

73. Pro omnibus enim sine ulla exceptione hominibus mortuus est Christus, quia agnus Dei tollens peccatum mundi: super quem posuit Deus iniquitates omnium nostrum: qui etiam dedit semetipsum precium Redemptionis pro omnibus. Ioan. 1. Efr. 53. 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2. 1. Tim. 4. Ioan. 1.

74. Ideoq; propiciatio dicitur pro peccatis, non nostris (fidelium) tantum sed etiam totius mundi, & Seruator omnium hominum, maxime fidelium: adeoq; lux vera illuminans omnem hominem uententem in hunc mundum: ita ut mortuus sit etiam pro pereuntibus Rom. 14. & 1. Cor. 8. atq; adeo hos etiam, à quib. ipse abnegatur, sit mercatus, 2. Pet. 2.

75. Quæ meriti passionis & mortis Christi infinita plenitudo itidem è dignitate persone, quæ patitur, emanat. Quandoquidem non Humana Christi natura patitur aut moritur seorsim, quæ seorsim ac

1. Cor. 2.
Act. 3.
Act. 10.

per se non subsistit: sed secundum eam patitur ipse unigenitus & ita ut Dominum gloria Crucifixum, autorem vita intersectum, atq; aded Deum Ecclesiam suo sanguine redemisse pleno ore & calamo profiteantur Apostoli.

76. Huius passionis meritum à Christo extra nos partum, per imputationem fit nostrum. Cuius imputationis qua sit ratio seu conditio, porrò excutiendum restat.

77. Non autem sic imputatur nobis iustitia obedientiae Christi, ut nobis tanquam habitus quidam inhereat.

78. Consistit enim opus illud obedientiae actiuae & passivae non in qualitate, sed in actione & passione, qua extra nos ante annos mille quingentos est praestita: & quam in huiusmodi habitum, qui omnium seculorum & aetatum fidelibus quadam successione inhaerescat, transformare perquam foret absurdum.

79. Sed neq; fingitur imputatio nuda rei, veritate planè vacua, quantumvis res, quae imputatur, nobis non inhereat.

80. Nam & Christo verè imputata fuere peccata nostra, iuxta illud: Posuit Dominus super illum peccata omnium nostrum. Et rursum: Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei per illum.

81. Quam imputationem non vanam, sed solidam & cum clarissimo effectu fuisse coniunctam, mors & passio eius, quae peccatorum nostrorum stipendium erat, luculenter edocuit: quantumvis peccata illa nostra Christo inhaerent minimè.

82. Sic itaq; vicissim imputatur nobis Christi iustitia solidè & effectu, hoc est cum participatione gratiae divinae vitae aeternae, quantumvis & hic non somnietur rei imputatae inhaesio.

83. Quin potius inuertitur ordo rerum in hoc negotio, ut in iustificatione id quod inhaeret, non imputetur, imputetur autem id, quod non inhaeret: qua ratione Iustificatio nostra ponitur in imputatione affirmata & negata.

84. Affirmatà respectu obedientiae Christi: negatà respectu peccatorum nostrorum sicut scriptum est: Beatus vir, cui non imputabit

Domi-

Psal. 31.
Rom. 4.

Dominus peccatum. Et 2. Cor. 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata.

85. Ex quibus intelligitur, Deum iustificare (ut Paulus scribit) impium, non imputando ei peccata, imputando verò iustitiā obedientiæ, passionis, mortis & Resurrectionis filij sui.

86. Atque sic non sine omni planè iustitia (quod abominabile esset coram Domino Prouerb. 17.) iustificat impium: sed propria quidem iustitia destitutum, per fidem autem indutum aliena.

87. Sic enim Paulus ex Mose: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Et mox: Qui non operatur, credit autem in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Rom. 4.

88. Et hinc quidem obedientia Christi est res ipsa que imputatur, seu in qua consistit iustitia, propter quam reputamur iusti. Fides autem est imputationis illius medium, quo iustitia aliena, pro nobis tamen prestita, apprehenditur.

89. Quæ causa est, ut uerendo Xp̄s fides quoque ad iustitiam scribatur imputari, propter meritum Christi quod includit, sicut annulus ob prestantissimam gemmam, quam continet inclusam, tot vel tot aureis constare dicitur. Rom. 4.

90. Quamobrem ad absolucndā hominis iustificationem fides etiam, ut tertia Causa, eaque instrumentalis, concurrat necesse est. Tertia causa
Iustificatio-
nis.

91. Hac namq; uiuit iustus, Hab. 2. hac purificantur corda Act. 15. hac homo placet Deo. Hebr. 11. Ex hac datur hæreditas, Roman. 4. per hanc in uitam æternam translatus est Enoch. Hebr. 11. per hanc iustificamur & saluamur. Roman. 3. Ephes. 2.

92. Ea verò est non nuda notitia, vel historie de Christo, vel capitulum doctrinæ: siquidem & demones hoc modo credunt, sed (fiducia destituti) contremiscunt, Iac. 2.

93. Sed est insuper fiducia cordis, ad thronum Gratiæ Iesum Christum confugiens, & in illius sacrosancto merito fiducialiter acquiescens.

Pfal. 2. 10. 56.
118.

94. Fiduciã definiã fidem electorum, toties patet, quoties in psal-
mis occurrit: Beati qui confidunt in Domino: Deus meus, in te confido:
In te confidit anima mea.

Matth. 9.

95. Sic Christus quoq; definit, paralytico dicens: Confide fili, remit-
tuntur tibi peccata tua. Et hæmorrhøise: Confide filia, fides tua te sal-
nam reddidit.

96. Idem hinc apparet, quòd solennis illa vox Salvatoris dicentis:
ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam,
Ioan. 6. sic redditur: Amen dico vobis, qui confidit mihi, habet vitam
æternam.

97. Idcirco & Paulus Abrahæ fidem non nuda notitiã, sed etiam
fiducia & τρυφερία, qua diffidentia carnis obluçetur, expresse de-
scribit, Roman. 4.

98. Iustificat porrò fides, non quoad est quædam in nobis virtus seu
habitus. Sic enim cõsiderata imperfecta est, ut seверо Dei iudicio oppo-
ni nequeat: & si perfecta foret, tamen esset debita, ideòq; ad promeren-
dum quicquam inualida, Luc. 17. ac deniq;, quia hoc respectu est opus
vnius tantum præcepti, cum vicissim non vnius duntaxat, sed omni-
um præceptorum perfecta impletio ad iustificationem requiratur.

99. Quoad verò in prædicamento ~~dei~~ ñ fertur in promissionem
gratiæ Dei per & propter Christum, apprehendit iam Christi perfe-
ctam obedientiam, quæ non vnius vel alterius præcepti sed vniuerso-
rum absolutam impletionem continet, & hæctenus iustificat.

Rom. 9.
Ioan. 3.
Act. 10.

100. Hinc scriptura de iustificante fide differens ut plurimum cor-
relati mentionem expressam adiicit, inquiens: Qui credit in eo, non
pudescit: qui credit in eum, habet vitam æternam: Remissionem pec-
catorum accipiet per nomen eius, quisquis crediderit in illum.

Ioan. 6.
Ioan. 4.

101. Et Christus: qui confidit mihi, habet vitam æternam. Qui
credit in me, non sitiet unquam.

102. Sic Gal. 2. Scimus non iustificari hominem, nisi per fidem Ie-
su Christi, & nos in Christũ Iesum credidimus, ut iustificaremur ex
fide Christi.

103. Ratione correlati huius quia nulla est inter firmam & infir-
mam fidem

mam fidem differentia, neq; iustifica illa d'vap'is in propria dignitate fidei sita est: hinc adeo fides infirma, dummodo vera sit & Dei promissionibus innixa, non minus solide apprehendit Christum, ac fides firma.

104. *Subleuat enim Dominus infirmitatem fidei nostrae, utpote quæ calamum quassatum & linum fumigans, seu infirmantem in fide suscipit, & compati solet nostris infirmitatibus, suamq; virtutem in infirmitate nostra perficere.*

Esa. 42.
Heb. 4.
2. Cor. 12.

105. *Hinc etsi Regeneratio suos habet gradus, & magis minusue recipit, collocata scilicet in motibus illis, virtutibus & donis intra nos accensis: tamen Iustificatio nec magis recipit neq; minus.*

106. *Nemo enim ex parte habet remissionem peccatorum, ex parte non habet: nemo partim in gratia est, partim extra gratiam: nec quisquam ex parte heres est vitæ aeternæ, ex parte verò adhuc sub damnatione.*

107. *Et in Iustificatione non spectantur ille virtutes, quibus auctis vel diminutis ipsa quoq; Iustificatio tale incrementum vel decrementum subeat.*

108. *Imò neque fides, quatenus ex sua vel firmitate vel infirmitate pensatur: sed quatenus in correlatū fertur, quod equabile semper est, & infinitate sua omnem inequalitatem respuit.*

109. *Quod autem legitur, Apocal. 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc: de continuando hoc Dei beneficio & in eodem perseverantiâ intelligendum est: idque faciunt fideles, cum petendo indies remissionem peccatorum, in qua Iustificatio nostra consistit. Rom. 4. tum excitando subinde atque exercendo fidem, suamq; lampadem nunquam non instruendo, ne deficiente oleo fides ipsa tandem evanescat.*

110. *Ceterum sola fide cum dicimur iustificari, particula exclusivæ nec correlatum fidei, gratiam Dei & satisfactionem Christi, à Iustificatione secludit, sed hanc potius includit: nec organa salutis, quibus Iustitiam & vitam nobis offert Deus, arceat.*

III. *Visum enim est Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes 1. Cor. 1. & saluos nos reddit Dominus per lauacrum regenerationis, Tit. 3.*

Sic.

112. Sicut autem sola manus mendici est instrumentum apprehendens stipem, nec tamen hac excludit manum diuitis offerentis stipem: sic et si fides sola sit illa mendica manus apprehendens oblatam gratiam, tamen non secludit diuitem illam manum offerentis Dei, quæ est saluificum ipsius verbum & annexa Sacramenta.

113. Interim sola fides est Iustificationis & salutis organum propinquum, quod in Christi merito acquiescens immediatè saluat: verbo autem Euangelij & Baptismo non immediatè sed ^{per} quadam saluamur, quatenus per hæc media excitatur Medium illud salutis propinquum, nempe fides, atq; sic consequenter confertur salus animarum à fide dependens.

114. Sed neq; opera excluduntur à persona iustificata, cum sola pronunciamur iustificari fide: sed ab ipsa tantum Iustificatione, ne in forum illud Iustificationis & ad sanctissima Iustitia diuinæ adorandum tribunal irrumpant, ibiq; se venditent pro causa, ob quam in gratiam recipiendus sit peccator.

115. Siquidem in hoc foro, ut dictum est, ne fides quidem propriam suam dignitatem iactat, sed in solum propiciatorem Iesum Christum respiciendo, eiusq; amplexando sacrosanctum meritum, ad iustitiam imputatur.

116. Sint ergo in homine virtutes, sint bona opera, suas quoq; partes in gratitudine erga Deum declaranda & in subleuandis proximi necessitatibus peragant: dummodò ne tentent in sanctissimum illud forum irrumpere, ubi de reconciliando iustificandog; peccatore agitur: aliàs quatientur foràs, & vnâ cum Pharisæorum iustitia proscribentur ad extremos inferos.

117. Sola hic regnet ac triumphet fides in Iesum, Conciliatorem Noui testamenti & Sacerdotem magnum, tanquam vnicum autorem, Ducem & consummatorem nostræ perpetuæ salutis.

118. Neq; verò hæc doctrina noua est, qua sola in Deum & Christum fide hominem iustificari pronunciamus.

119. Nam & Paulus æquiualentem ponit Exclusiua, Gal. 2. Scimus, inquit, nō iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.

120. Et quoniam ad arcendum opera è negotio Iustificacionis usurpatur hæc Phrasîs: iniuste profecto dicam hæreseos ei impingunt Pontificij.

121. Etenim quod hæc Propositio excludit tacitè, hoc Paulus facit expresse, cum scribit nos iustificari per fidem, absq; operibus, & non operantibus imputari fidem ad iustitiam, hoc est, ijs, qui operibus ne tantillum quidem fidunt, aut iustitiæ summam in ijs locant. Rom. 3. & 4.

122. Quemadmodum hæc locutio (sola in Christum fides iustificat) apud Ecclesiasticos scriptores, Hefichium, Hilarium, Basilium, Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, Primasium, & alios, usu trita vulgataq; fuit.

123. Ex operibus autem non iustificari hominem apud Deum, Paulus solenni planeq; decisiva sententia pronunciat. scribens, obnoxium reddi totum mundum Deo, quod ex operibus legis non iustificetur omnis caro: quod totidem verbis Gal. 2. repetitur.

124. Et rursus: Arbitramur fide iustificari hominem absq; operibus legis. Similiter Ephes. 2. Gratia estis saluati per fidem, idque non ex vobis. Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Rom. 3.

125. Nec verò tantum opera legis Ceremonialis, sed Moralis quoq; velut digito notari, textus Apostolicus euidenter arguit.

126. Nam suum illud pronunciatum (ex operibus legis non iustificari ullam carnem) Paulus Rom. 3. insert ex enumeratione huiusmodi peccatorum, quæ in legem, non Ceremonialem, sed Moralem impingunt: cuiusmodi sunt linguis ad dolum uti, execratio, amarulentia, veloces habere pedes ad effundendum sanguinem.

127. Quare ni D. Apostolum dicamus à seorsum loqui & scribere, necessario etiam ex illa peccatorum enumeratione illata conclusio operibus laudem iustitiæ derogans, de lege Decalogi fuerit accipièda.

128. Præterea de ea lege eiusq; legis operibus ibi ex professo disserit, è qua totum mundum, Iudeos & Græcos, transgressionis & peccati coarguit. Ideo enim ait, per ea, quæ ex legis doctrina protulerit, omne obturari os, Deoq; obnoxium reddi totum mundum, quod ex operibus non contingat Iustitia.

129. Iam verò ex Ceremoniali lege conuinci gentiles nullo pacto poterant, utpote quæ gentibus nec lata fuit nec innotuit.

130. Moralis autem lex Decalogi est illa, quæ totum obstringit mundum, quæ gentilibus etiam fuit nota & in lege naturæ mentibus illorum insita: ideoq; redarguendus gentibus quoq; idonea.

131. Deniq; cum dixisset Apostolus, ex operibus legis non iustificari omnem carnem in conspectu Dei, confestim huius affirmati rationem subiicit hanc: Per legem enim agnitio peccati.

132. Ex qua verò lege agnitio peccati sit, Paulus ipse dilucidè nobis enarrat. Rom. 7. dicens: peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset: non concupisces.

133. Norunt autem etiam pueri è Catechismo suo, hoc præceptum (non concupisces) contineri in lege Decalogi morali, non Leuiticorum cultuum Ceremoniali.

134. Idem de disputatione Paulina, quæ in Epistola ad Galatas instituitur, est censendum, ubi itidem operibus legis omnem vim iustificationis aperte derogat, & quam legem notatam velit, sine circuitione demonstrat.

Gal. 3.

135. Quando in hac scribit verba: Quod autem in lege nullus iustificetur apud Deum, palàm est. Siquidem iustus ex fide uiuet: lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea homo, uiuet in eis.

136. Hanc verò sententiam (qui fecerit ea homo, uiuet in eis) Christus Luca 10. cum Legisperito disputans perspicua allegatione ad legem Moralem refert.

137. Facit idem Paulus Rom. 10. quando asserit, Mosen de iustitia, quæ est ex lege, scribere, quod qui fecerit ea homo, uiuat per illa.

138. Sic quoq; cum Ephes. 2. negat operibus iustificam saluificamq; potentiam, palàm ibidem indicat, cuius legis opera designet, inquit: Dei donum est, Non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambularemus.

139. Hic ijs etiam operibus detrahit laudem iustificationis, ad quæ nos im-

nos in Christo Iesu conditos memorat, & in quibus ambulandum docet.

140. Hac verò, abrogatà iam lege Ceremoniali, quando illa scribit Apostolus, non poterant esse Ceremonialis legis opera, praesertim cum sermo dirigatur ad Christianos ex gentibus, quos alioqui lex ista Leuitica nihil attinebat, nedum ut Paulus huius opera velit eis imposta, in quibus ambulent.

141. Rursum ergo sole clarius effulget, Moralis legis operum hic meminisse Paulum, ipsedemq. saluandi vim illam facultatemq. negare.

142. Ut rem exemplis illustremus: constat iam inde ab origine mundi vnã eandemq. fuisse (si causas Iustificationis spectes) consequenda iustitia & salutis rationem, Act. 15. nec aliter nos iustificari, quàm primos parentes nostros, Adamum & Euam.

143. Hi autem sine vlllo prorsus opere sunt iustificati, praecenti scilicet immensa Dei bonitate, quae iam perditos & in inferorum faucibus haerentes citra vlllorum operum respectum vlllum à peccato & damnatione misericorditer absoluit, annunciatò eis Euangelio de semine mulieris. Gen. 3.

144. Publicanus sine vlllo bonorum operum respectu redijt in domum suam iustificatus: ut & Latro citra operum considerationem, meritum aut dignitatem, sola in Christum fide saluatus est. Luc. 18. Luc. 23.

145. Paulus itidem ex sola misericordia Dei, sine vlllis operibus (persecutor enim erat, blasphemus & violentus) in gratiam est receptus. 1. Tim. 1.

146. Quod exemplum suum Vniuersalis Regula vice nobis commendat hisce verbis: verum ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar his, qui credituri essent in ipso ad vitam aeternam. 1. Timoth. 1.

147. Et ut ab exemplis ad argumenta redeamus: si neque hominum non renatorum neque renatorum opera iustificanc coram Deo, consequens erit, opera iustificare planè nulla.

148. De non renatorum operibus expeditum iudicium est: quæ quia ex fide non prodeunt, Deo placere non possunt, Hebr. 11. multò verò minus ita placere, ut ad iustitiã in ipsius conspectu valentem reputentur.

149. Præsertim quia per censuram Propheticam & Apostolicam non renatorum hominum opera inter peccata reijciuntur, Psalm. 109. Roman. 14.

150. Porrò neg. renatorum opera valere ad conciliandam homini iustitiam coram Deo valentem, subiuncta demonstrationes nobis ad oculum comprobant.

151. Nam uniuersale pronunciatum est Apostoli, nullaq. restrictione limitatum, Rom. 11. Si ex gratia, non iam ex operibus. At verò etiam renati iustificantur ex gratia. Ergo non ex operibus.

152. Neg. Paulus in suis Disputationibus de hoc cælestis doctrina capite, sic distinguit, ut quosdam ex operibus, quosdam sine illis iustificari enunciet.

Rom. 3.

153. Sed sententiã super uniuersum mundum lata concludit ex Spiritu sancto, ex operibus non iustificari vllam carnem. Ergo neg. renati ex suis iustificantur operibus.

Rom. 3.

154. Adhac Iustificatio sic describenda est, ut omnis gloriatio nobis adimatur: Iuxta hæc Apostoli: Omnes egent gloria Dei, iustificantur autem gratis: Atq. mox: Vt ipse sit iustus, & iustificans eum, qui ex est fide Iesu. Vbi igitur gloriatio? Exclusa est. Et Ephes. 2. Gratia saluati estis, per fidem, idq. non ex vobis, donum Dei est, non ex operibus, ne quis gloriatur.

Rom. 4.

155. Iam verò si ex operibus esset Renatorum iustitia corã Deo valens, haberent illi gloriandi materiam: ut de iam Renato Abrahamo sonora voce pronunciat Paulus: si Abraham ex operibus iustificatus est, habet quod gloriatur.

156. Et quia bona opera Spiritus sanctus non edit sine hominis regenerati voluntate: atq. hæc, licet acta Dei spiritu, liberè agit post conversionem, neg. se habet in illo bonorum operum exercitio, ut instrumentum ad op. siue brutum, quod solius efficientis impulsu citra assensum aut arbitrium agat, sed omninò voluntariè concurrat, per Spiritum Dei

tum Dei liberata, qua de causa quidam renati homines plura, quidam pauciora edunt bona opera: palam apparet, aliquam gloriationis particulam in hominem redundare, si operibus laus iustificationis vlla tenus adscribatur.

157. Ad quod absurdum Theologicum declinandum est nobis dicendum cum Apostolo: Non ex operibus, ne quis gloriatur, Ephes. 2.

158. Et fatendum, Christum nobis esse factum à Deo iustitiam, ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriatur 1. Corinth. 1.

159. Accedit huc, quòd sic describenda est hominis peccatoris Iustificatio, ut homo possit esse certus de gratia Dei, sicut scriptum est: Ideo ex fide datur hereditas, ut firma sit promissio. Rom. 4.

160. Si verò Iustificatio niteretur Renatorum operibus, non possent illi sibi gratiam Dei firmiter polliceri, maxime in certaminibus conscientiae grauioribus.

161. Agnoscunt enim sancti, opera sua esse imperfectissima. Fatentur, sibi facere cupientibus bonum, adharere peccatum: ideoq; suas iustitias dicunt immundas instar panni menstruatæ. Vnde sequitur, ad asserendam hereditatis certitudinem, ne Renatos quidem suis operibus in iudicio Dei fidere. Rom. 7. Esa. 64.

162. Insuper ànnon rerum ordo inuertitur, si dicas hominem iustificari ijs operibus, quæ Regenerationem subsequuntur?

163. Cum enim quàmprimum aliquis renatus est, protinus etiam sit iustificatus: utiq; renatorum opera non erunt Iustificationis causa antecedens, sed eiusdem iam constitutæ effectus consequens.

164. Si Deo non placent opera, tum, ipsis quoq; Aduersarijs suffragantibus, non iustificant.

165. Sin verò placent: certè iam non à persona demum iustificanda, sed iustificata & reconciliata proficiuntur, & proinde iustificationem sequuntur, ut effectus, non præcedunt, ut causa.

166. Quod dicimus, ex eo etiam planum est, quòd Spiritus Sanctus Operum aspectum à toto negotio salutis, à primo eius initio usq; ad finem, per omnes gradus, semouet.

167. Gradus illi enumerantur Rom. 8. Quos prædefiniērat, hos & vocavit: quos vocavit, hos & iustificavit: quos iustificavit, hos & glorificavit.

168. De prædefinitione seu nostra ad salutem electione clarus est textus Pauli dicentis Rom. 11. Sic igitur & in hoc tempore reliquæ secundum electionem gratiæ fuerunt: Quod si per gratiam, non iam ex operibus, quandoquidem gratia iam non est gratia. Sin ex operibus, non iam est gratia: aliās opus non esset opus.

2. Tim. 1.

169. Vocationem itidem non esse ex operibus, idem Paulus testis est, quando confirmat, Deum nos vocasse vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam.

170. De Iustificatione idem hoc docuimus allatis in medium scripturæ sacrae testimonijs & exemplis.

171. Quamquam neque possunt aliæ esse causæ Iustificationis, quàm antegressa Electionis, ne absurde statuamus, Deum in Electionis proposito aliter decreuisse saluare homines, quàm in Iustificatione tanquam executione propositi illius saluet: qua ratione decretum & decreti executio à sese manifestissima contrarietate disiderent.

172. Deniq; ipsa quoq; ultima consummatio salutis, quam Apostolus Paulus beatificationis & saluationis voce designat, ipsaq; venturæ beatitudinis possessio ex operibus esse negatur.

173. Secundum illud Rom. 4. Dauid explicat beatificationem hominis, cui Deus imputat Iustitiam absq; operibus.

174. Rursumq; Tit. 3. Non ex operibus, quæ faciebamus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.

Ioan. 14.

175. Christus quoque, viam in vitam eternam nobis indice digito commonstrans, nulla facta mentione operum, se solum esse viam illam profitetur: Ego, inquiens, sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.

176. Ergo respectu ipsius quoque introductionis in vitam eternam, qua tanquam ultimus Actus nostræ salutis, Regeneratione posterior est, solus valet & regnat Christus, non opera.

177. Et per consequens ne quidem opera, quæ ab antegressa Regeneratione

ratione promanant, immisceri debent consequenda salutis causis, ut Christo sua in solidum constet laus atque gloria in inchoanda & consummanda sempiterna salute hominum: tanquam qui omnis iustitia, vita & beatitudinis nostra principium & finis, & est.

178. Quam laudem palam ei derogant, qui disjuncta iustitia imputatiua, qua Christi est, obtrudunt Deo satisfactionis vice virtutes inherentes: ita ut Christus ipse iam non sit nostra iustitia, sed tantum mereatur, ut Spiritus S. virtutes infundat operaq; ciat, per qua iustificetur & saluetur homo. Quod Antichristiana heresi plenum est.

179. Patet institutum nostrum hinc quoq;, quod in foro Iustificationis hominem duplici iustitia saluari, videlicet imputata & inherente, oppidò absurdum est.

180. Quoniam ergo Apostolus omnem vim atq; laudem in liberando homine ab aeterna damnatione ad imputatam refert, ea etiam sic perfecta est, ut inherenti iustitia adminiculo nil legeat: quidni impiè faciunt, qui inherenti dilectioni, virtutibus & operibus Renatorum, arcem salutis superstruunt?

181. Præterea ex supra dictis liquet, ex legis operibus non iustificari in conspectu Dei ullum hominem. Quæ assertio Pauli est Ro. 3. Gal. 2.

182. Iam verò sunt & Charitas renatorum Charitatisq; fructus, legis opera. Spontè igitur emergit conclusio, quòd ad conciliandam homini saluificam Iustitiam nihil afferant vel momenti vel adiumenti.

183. Ceterum esse ac manere opera renatorum legis opera, ex scripturis sanctis confirmare promptum nobis est.

184. Quamquam enim renati spontaneo ducuntur spiritu: non tamen propterea desinunt eorum obsequia esse legis opera.

185. Quandoquidem Spiritus Sanctus non sine lege eos ducit ac regit in semita nouæ obedientiæ, sed præstat, ut actiones suas secundum legis præscriptum instituunt & viam mandatorum Dei currant.

186. Quemadmodum David spiritu Dei renatus orat Psal. 119. Legem pone mihi, viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper. Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui, &c.

187. Et Paulus renatus sua obedientia noua Canonem facit legem.
Rom. 7. Delector lege Dei secundum internum hominem. Et paulo post:
Idem ego mente seruius legi Dei, carne uero legi peccati.

188. Idem Renatis Christianis regulam praescripturus, ad quam sua
opera conforment, ait Rom. 13. Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, ut
inuicem diligatis. Si quidem illa: Non mœchaberis, non occides, non fu-
raberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est
aliud praeceptum, in hoc sermone summam comprehenditur, nempe,
dilige proximum tuum, sicut te ipsum.

189. Haec testimonia quia dilucide comprobant, charitatem renato-
rum esse opus legis, & opera dilectionis erga proximum esse legis opera:
immota perstat argumentatio supra posita: Ex operibus legis non iusti-
ficatur omnis caro. Charitas eiusque fructus etiam in renatis sunt opera
legis. Ergo per ea iustificari nequeunt.

190. Indubium quoque, argumentum hinc nobis emergit, quod me-
morat Paulus, per unius obedientiam nos homines iustificari. Rom. 5.

191. Si uero Renati constituerentur iusti coram DEO obedientia
charitatis nouitatisque infusa: iam contra clarissimam sententiam Apo-
stoli non unius Christi obedientia Deo & legi eius in diebus Carnis
praestita ad iustificandum nos ualeret, sed concurreret omnium etiam
Renatorum obedientia: quod aperta sententia negat Apostolus.

192. Adhuc si in ordine causarum Iustificationis reponenda essent
uel infusa uirtutes, uel opera reparatorum: tum aut tanquam ^{uoluntaria}
adiungerentur Gratiae Dei in primo genere causae, aut Satisfactioni
Christi in secundo, aut fidei in tertio.

193. At Gratia Dei adeo non possunt adiungi, ut Spiritus Sanctus
potius aperte disjungat: Si ex gratia, non iam ex operibus, sin ex operi-
bus, non iam ex gratia, Rom. 11.

194. Sed nec satisfactionis Christi ^{uoluntaria} est noua nostra obedi-
entia, quia Christus in hoc sublimi officio non admittit ullum socium,
Esa. 63. Ioan. 14. Act. 4.

195. Et noua obedientia renatorum nullam habet vim promerendi
gratiam Dei, sicut Christi satisfactio: quippe imperfectissima, & ad
offensam

offensam Dei Iustitiam collata ceu leuis stipula ad ignem consumen-
tem: quin etiam perfecta si foret, tamen esset debita, ideog, Christo te-
ste & Iudice nihil haberet momenti ad promerendum quicquam.

Luca 17.

196. Deniq, nec circa instrumentalem causam vt *συνεταρον* adiungi
potest fidei: quoniam Apostolus fidem & opera tanquam *ἀντιδιγνημένα*
ab inuicem in capite Iustificationis seiungit, dicens: Arbitramur iu- Rom. 3.
stificari hominem fide (en tibi causam instrumentalem) & adijcit:
absq, operibus.

197. Carent insuper opera illo instrumenti respectu, & relatione,
quam fides habet ad promissionem de gratuita remissione peccatorum.

198. Fide enim creditur, nos per & propter Christum a peccatis ab-
soluti. Hic opera nullum huiusmodi respectum habent ad promissionem
istam, idcirco neq, vis aliqua apprehendendi rem ea promissione obla-
tam adscribi valet operibus.

199. Quoniam ergo nulli enumeratarum causarum addi possunt
opera, tanquam *συνεταρον*: ipsa verò nimis inualida & infirma sunt, vt
præter modò dicta peculiare genus causæ constituant, respectu cuius in
gratiam suam acceptet Deus hominem condonatis delictis: irrefuta-
bilis durat ac permanet propositio, quam tuemur, videlicet, nec Rena-
torum virtutibus aut operibus potentiam saluificam illam esse tri-
buendam.

200. Lubet verò eam exemplis quoq, testatam reddere. Siquidem
de Abrahamo in medio curriculo nouæ obedientiæ constituto, postea-
quam bonis operibus suum Deo obsequium iam pridem approbauerat,
disertè scribit Moses, credidisse eum promissioni sibi dictæ, idq, impu- Gen. 15.
tatum ei ad iustitiam.

201. Hunc locum ex professo enarrans Apostolus Rom. 4. Abraha-
mum sine operibus esse iustificatum luculenter asseuerat, atq, sic etiam
Renati Abrahami opera ab actu Iustificationis seiungit.

202. Paulus ipse quantumlibet renatus, in noua obedientia, cui da-
bat operam, presidium suæ, quæ coram Deo consistit, Iustitia collocare
non audeat.

1. Cor. 4.

203. *Quin imò dicit: Nihil mihi sum conscius (planè ut Act. 23. ait: Ego omni conscientia bona conuersatus sum coram Deo) sed adijcit in hoc autem non sum iustificatus.*

204. *Sic David renatus nò audet in iudicio Dei fidere suis operibus, sed exclamat: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur coram te omnis uiuens. Psal. 143.*

205. *Esaias sanctus Propheta & homo verè renatus, assistens ad Tribunal Dei, & sua populig, peccata penitiùs expendens, adèò non commendat Deo opera sua, ut horum respectu peccata sibi dimittantur, ut potius ab illis se auertens cum gemitu exclamet: Sumus ut immundi omnes, & omnes iustitia nostra, ut pannus menstruata. Esa. 64.*

Dan. 9.

206. *Daniel vir Deo apprimè charus sua itidem populig, peccata confessus, & illorum remissionem (qua cum Iustificatione, testibus Dauide & Paulo coincidit) petens, quam non audet verbum facere de bonis operibus? Quin ea ad præsens negotium prorsus inutilia reputans, ait: Non in iustitijs nostris prosternimus deprecationes nostras in conspectu tuo, sed in miserationibus tuis multis.*

Iob. 9.

207. *Idem iuxta psalmum 32. faciunt omnes sancti & renati. Qui ubi ad peccatorum suorum sensum expauescunt & illorum petunt veniam, conscij, quòd vel ad mille non possint Deo. vnum respondere, nulla facta suorum operum mentione ad solum & unicum propiciatorem Iesum Christum confugiunt, & desigendo fidei oculos in agnum Dei tollentem peccata mundi, eluctantur è terroribus inferni, & inueniunt requiem pro animabus suis.*

208. *Denig, quia Iustificatio omnium hominum in remissione peccatorum tota vertitur, ut Paulus Act. 13. & Rom. 4. Zacharias Lucae 1. Christus in preceationis formulà nobis praescripta, totaq, Ecclesia in Symbolo profitetur: hoc ipso liquidissime confirmatur, omnium electorum Iustificationem, illa, quam Pontificij fingunt & iactant, operum satisfactione non constare.*

209. *Obsecro enim te, num diceres Creditorem debitori suo remittere debitum, si satisfactionem ab illo exigeret? cum remissio debiti, &*

biti, & requisita à debitore satisfactio planè aduersa fronte pugnent?
210. Quoniam ergo tota scriptura perhibet, Deum peccata debitaq,
nostra nobis misericorditer remittere, & gratuita clementia grande
illud debium decem millium talentorum condonare: Pharisaeum do- Matth. 18.
gma sit oportet, quo hypocrita sua opera loco satisfactionis Deo com-
mendant, & summum hoc caput fidei de gratuita remissione pecca-
torum penitissimè corrumpunt.

211. Putida porrò calumnia est, quòd ventosi hypocrita, Iustitia-
rij, obiectant, Concione de gratuita fidei Iustificatione absq, operibus,
homines in studio honorum operum reddi languidiores, quos iniecta
spe consequenda per opera iustitia & vita aeterna extimulari ad benè
operandum oportuerit.

212. Sed norint illi, nihil opus esse mendaci dogmate ad pietatem in
hominum cordibus sancientiam: quandoquidem non possunt ad se-
ctandum studium pietatis excitari potentius, quàm si expensa inenar-
rabili ista misericordia Dei gratis remittentis peccata, statuunt secum,
par esse, vt tanto benefactori vicissim sua approbent grata obsequia.

213. Sicut David canit: copiosa est apud te remissio, vt timearis.
Psal. 130.

214. Et Zacharias refert, ob hoc ipsum nos veteri illa erga Patres
vsurpata misericordia Dei seruari, non vt in peccandi licentiam por-
rò diffluamus, sed potius vt de manu inimicorum nostrorum liberati
seruiamus ei cum sanctitate & iustitia, coram ipso, cunctis diebus vi-
tae nostrae. Luc. 1.

215. Hinc Paulus salutiferam hanc Dei gratiam adeò non inter-
pellare cursum religioso pietatis ostendit, vt potius eà dicat nos eru-
diri, quòd abnegata impietate & mundanis concupiscentijs, sobriè, iu-
ste & piè viuamus. Tit. 2.

216. Et cum Tit. 3. dixisset, nos gratia Iesu Christi iustificatos here-
des effici iuxta spem vitae aeternae: confestim subiicit: De his volo vt
confirmes, quòd solliciti sint, vt bonis operibus praesint, qui crediderunt.

217. Nimirum apertè significans, doctrinam de gratuita hominis
Iustificatione nobis ad benè operandum calcar addere, ideòq, dili-

101787
genter esse commendandam Christianis, ne frigeant aut torpeant in isto pietatis curriculo.

218. Planè ut precedente capite eius Epistole testatus est, Christum dedisse semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, ut purificaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.

219. Quamobrem quò magis gratuita & ab operum nostrorum consideratione remota est nostra Iustificatio, eò ampliorem gratitudinem à nobis exigi res ipsa loquitur: & quò copiosior est in remittendis peccatis Servatoris nostri gratia, eò ardentior erga illum nostra effervescent dilectio. Cui autem minus remittitur, ille minus etiam diligit, teste ipsomet Christo, Luc. 7.

220. Ceterum, quæ contra hanc Propheticam & Apostolicam doctrinam à Papiculis amplius obijciuntur: in cursu Disputationis excutientur sigillatim, & erit, Deo volente, tempus, quo seorsim confutentur singula.



Errata sic corrigantur.

Pag. A 2. b. lin. 25, charitate, Pag. A 4. lin. 1. Reconciliatricem

